



**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniæ Agrippinæ, 1598

VIII. De Conuersatione B. Virg. post ascensionem filij, & de felici eius
transitu ex hac vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)

DE CON-
VERSATIONE B.
VIRGINIS.

POST FILII ASCEN-
SIONEM IN CAELVM,
ET DE FOELICI EIVS
MIGRATIONE EX
HAC VITA.

MEDITATIO VIII.
SCRIPTVR A.

Act. i. **T**VNC reuersi sunt Hiero-
solymam à monte qui voca-
tur Oliueti, & cùm introi-
fent in cænaculum, ascenderunt
vbi manebat Petrus & Ioannes,
Iacobus & Andreas, Philippus
& Thomas, Bartholomæus & Ma-
thæus, Iacobus Alphæi, & Si-
mon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi
omnes erant perleuerantes vna-
nimi-

nimiter in oratione cum mulieri-
bus & MARIA matre IESV &
fratribus eius.

FIGVRAE.

1. **A**NNA Phanelis cum vi- *Lac. 2.*
*A*dua permanisset, inquit
Scriptura, reliquum vitæ tempus
transegit in templo continuis oratio-
nibus & ieiunij seruiens Deo.

2. *Sancta vidua Iudith, ait scri-
ptura, post mariti mortem se in v-
nam domus partem cum ancillis
suis inclusit: in qua cilicio indu-
ta, in continuis ieiunij, & ora-
tionibus vitam agebat, & ob virtu-
tem in magna apud vniuersum po-
pulum veneratione erat.*

PROPHETIAE.

1. **H**E I mibi quia incolatus meus *Psal. 119.*
*prolongatus est, habitavi cum ha-
bitantibus Cedar, multum incola fuit ani-
ma mea.*

2. *Educ de custodia animam meam, ad *Psal. 42.**

K 2 con-

222 MEDITAT. DE
confidendum nomini tuo, me expectant in-
isti donec retribuas mihi.

Psal. 15. 3. Lætatum est cor meum, & exultavit
lingua mea; in super & caro mea requiesceret
in spe.

CONSIDERATIONES.

Punct. I. DESIDERIVM Beatiss. Virgi-
nis continenter cum dilectissi-
mo filio suo permanendi, & nunquam
ab eo discedendi semper fuit vehemens
& ardēs. Vnde, sicut, quamdiu in hac
terra vixit, in societate eius semper
fuit, eiique officia sua detulit; & parti-
ter quando propter nos passus est, &
cruci affixus, ex summo amore quo
cum prosequebatur optabat saltem
cum ipso. (quoniam pro ipso non
poterat) pati & mori, sic postquam
cum vidi resuscitatum, & gloriose
ascendentem in cælum, se relicta in
terra, cogita quomodo corde af-
fa fuerit, quanto amore, desiderio
que filium suum comitandi flagra-
uerit. Quanquam multæ, grauissi-
mæque causæ fuerint, cur æternæ
sapientiæ visum sit Matrem suam
ad aliquid tempus relinquere in ter-
ra. Quarum prima est, quia ita pla-
cuit, suæ Maiestati, cuius voluntas

maxi-

maximè semper fuit rationi consen-
tanea, licet humano ingenio com-
prehendi nequeat. quanquam di-
cere possumus, eum sic voluisse pro
consolatione Apostolorum, omni-
umque fidelium, vt ita vtraque Ec-
clesiatam triumphans quam milita-
ris gemina consolatione, visibili &
inuisibili frueretur. Nam ascen-
dens in cælum totam ciuitatem Dei
visione beatifica non diuinitatis suæ
solum, sed etiā sacræ humanitatis ex-
hilarauit, vt tam angeli, quam animæ
beatorum, ingrediendo ad ipsum, &
egrediendo ab ipso vberrima inue-
nirent pascua. Similiter Ecclesiæ
militanti primum misit cælestem il-
lum & inuisibilem consolatorem
suum Sanctum spiritum.. Postea,
quia fideles suos visibili sacri corpo-
ris sui præsentia priuauerat, loco suo
sanctissimam suam matrem reliquit,
vnicam Ecclesiæ suæ consolatricem.
Magnum sane solatiū erat omnibus
hominibus, in terra contueri illam
matrem, cuius filius, Deus & homo,
victor mortis, & vitæ auctor iam re-
gnabat in cælis; ac certe nimis du-
rum fuisset omnibus fidelibus vno
etdemque tempore Sole pariter &

224 MEDITAT. DE

Luna destitui. Tertia causa, ob
quam Dominus voluit Matrem re-
manere in terra, est, instructio fide-
lium. ut nimirum illa esset velut
Magistra religionis & fidei in illis
nascentis Ecclesiæ principijs. Et
quamuis Sancti Apostoli à Spiritu
sancto satis fuerint in omnibus ve-
ris dogmatibus instituti, tamen M A-
R I A longe omnibus alijs clarius
mysteriorum profunditatem, ipsam-
que veritatem à spiritu veritatis in-
tellexit. Vnde & multa Apostolis,
sigillatim autem Euangelistis, arca-
na, & cælestia mysteria reuelauit,
quæ ipsi scriptis mandarunt, & suis
successoribus commendarunt. Vbi
cogita, quantam consolationem at-
tulerit fidelibus, hanc cælestem Ma-
gistram audire, per cuius sacrum
os, quoniam ipsi C H R I S T V M
audire non poterant, loquebatur i-
pse C H R I S T V S, atque intel-
ligere particularem tot mysteriorum
& veritatum fidei explanationem.
Quarta causa, ob quam Dominus
cam relinquere voluit in mundo,
fuit, ut fideles inter tot molestias,
tempestates, & persecutions mundi
haberent aliquod præsidium & so-
latium:

Iatum : ne si hoc quoque beneficio spoliarentur , viderentur prossus à CHRISTO deserti : nec enim habebat pusillus ille grex in terra , à quo inter tot ærumnas & crues , rabidis vndique circumdati lupis , animari & corroborari posset . Voluit ergo dilectam suam matrem illis in matrem & magistrum relinquere , ut dulcis eius præsentia omnibus in mærore esset solatium , in doctrina lumen , in persecutione robur , & in illis Ecclesiæ incunabulis singulare præsidium . Ac certe admodum necessarium fuit Ecclesiæ adhuc teneræ , ne talis columna loco suo subito moueretur , sed potius ad aliquot annos pro universæ fabricæ spiritualis firmamento & sustentatione immobilis persistet .

2. C O N S I D E R A quæ fuerint exercitia , in quibus hæc sanctissima Virgo , post Christi filij sui accessionem in cælum occupauit : Quamuis enim , quid illo tempore erit , quam piè sancteque vixerit , nō tam hominibus , quam soli Deo fuerit exploratum (cui omnia cordium

secretis patent) ac simul Archangelo
Gabrieli, Virgini in custodem attri-
buto, cæterisque angelicis spiriti-
bus, à quibus crebro visitabatur: ni-
hilominus ex scriptura sacra con-
stat, eam, postquam vidit CHRISTUM à mortuis excitatum, eius-
que gloriosæ in cælum ascensioni
interfuit, & vna cum Apostolis cum
summo gaudio ad urbem rediit,
in eadem domo usque ad Spiritus
S A N C T I aduentum cùm illis per-
mansisse: ubi in precibus persecue-
rans vñā cum reliquis Spiritus san-
cti primitias recepit. Et sicut illa
plus alijs diuino amore ardebat, ita
fide dignum est, sanctum & amabi-
lem spiritum, uberiorem donorum
suum copiam in hoc suum vas ca-
pacissimum, in hoc sanctum suum
templum, in purissimum suum sa-
crarium effudisse. Iam verò vide qui-
buscum Virgo sanctissima in virtu-
tum schola, sub magisterio & disci-
plina Spiritus sancti cōuersata sit. V-
bi expende; si in mente aliorum fide-
lium existabat aliqua excellens deuo-
tio, si animi in precibus eleuatio, si
sensus & gustus aliquis spiritualis;
quæ deuotio, quæ mentis extases,

quam

quam admirabilis gustus esse debuerit, in hac Virgine præstantissima, in hac diuina arca, in qua cum tanta plenitudine gratiæ, & luminis cœlestis claritate habitabat ipse D E V S ? Et speciatim, licet illa in se tota spiritualis fuerit & perfecta, & ideo minus, quam ullus aliis, opus habuerit cærimonij externis ad excitandam deuotionem, tamen, quoad vixit, C H R I S T I filij sui exemplo, voluptatem cœpit ex visitatione Templi, & omnium Sanctorum locorum, ad excitandam memoriam & mentem ad contemplationem diuinarum rerum, variisque pietatis affectus in suum dilectum. Itaque sèpe consenserat montem Caluariæ, in quo Dominus est crucifixus. Vbi cogita, quot lachrymis locum illum sacrum irrigarit, in quo C H R I S T V S filius eius de cruce tantum profudit sanguinem ad abluenda peccata nostra. Deinde ingressa Saluatoris speluncam, magna deuotione venerabatur sanctum sepulchrum, congratulando sibi de gloriosa eiusdem filij sui resurrectione. Hinc digressa ad montem Oliueti, unde C H R I S T V S ascendit in cælum, iussa

K S dili

bili deuotionis affectu exosculabatur pedum Christi vestigia miraculosè in viua illa petra expressa. Vehementer item gaudebat visitatione humilis speluncæ Bethlehem , fælicis partus testificatrice , vbi augustinissimum , & benedictum ventris sui fructum vilibus inuoluit pannis, depositus in præsepio, ostendit Pastoribus , veditque adorari à Magis. Magna quoque animi voluptate subinde visebat paruulam ciuitatem Nazareth , Galilææ florem, in mentem reuocans , se ibi salutatam à cælesti nuncio. Ibi enim summo cordis gaudio Saluatorem mundi concepit. Ibi lac exuberibus suis ei dedit, Ibi eum educauit , & multis annis iucundissima eius consuetudine usauit. Denique perueniens ad aquas Iordanis , magna lætitia animi recolebat quid eo loci egisset Ioannes, quomodo ibi filium suum baptizasset, & Spiritus sanctus specie columbae in eum delapsus esset, auditaque de cælo vox, qua æternus Pater obedientiam filij collaudabat, eumque totius mundi Magistrum & Doctorem constituebat. Quo verò ardo-

re spi-

re spiritali putamus accensum fuisse cor Beatæ Virginis, quibus lachrymis terram irrigasse, cum hæc aliaque Palestinæ loca inuiseret, in omnibus expendens & contemplans, quid filius eius CHRISTVS in singulis egisset, docuisset, & perpetsus esset.

3. C O N S I D E R A , sicut beatissima Virgo præfigurata fuit in duabus illis sanctis sororibus, Martha & Magdalena, sic complexa est, & in se expressit utramque vitam, actiuam & contemplatiuam. Nam à tempore, quo illa concepit, & perperit CHRISTVM Domnum nostrum, tota sollicita & officiosa velut Martha se exercuit in vita actiua, in multis curis, laboribus, peregrinationibus, & diuersis molestijs tam mentis, quam corporis, quibus vita illa est obnoxia. Postquam autem filius ascendit in cælum, ab omni temporali sollicitudine, negotijsque Marthæ immunis, totam se dedidit otio & quieti Magdalenæ, singulari studio deinceps vacans contemplationi. Quo in exercitio(y) illa, quæ iam huius vitæ

K 6 tædie.

230 M E D I T A T . D E
tædio affecta , magno & vehemen-
ti amoris incendio in filium , tota
consumebatur , desiderio dulcissi-
ma eius præsentia fruendi suspen-
sa ,) continenter amoris lachry-
mas profundebat , atque instar tur-
turis desertæ cum gemitu vitam spi-
ritumque ducebat . Nec mirum:
Nam si omnes homines debent a-
mare , desiderare , & quærere C H R I-
S T V M Dominum suum toto
corde , tota anima , totisque viri-
bus , quanto ardenter faciat illa ,
cui C H R I S T V S non solum
erat D O M I N V S , sed etiam fi-
lius ? Verum non caruit admiratio-
ne , imò etiam magno miraculo ,
quod cùm illa esset tanto diuini
spiritus splendore illustrata , totque
sagittis & flammis charitatis trans-
fixa & accensa , potuerit tantum
pondus diu sustinere , & non po-
tius fuerit tanto diuinorum illustra-
tionum pelago & incendio absor-
pta . Hæc licet ita sint , tamen cre-
dendum non est , illam eousque con-
templationi , cultuique diuino fuis-
se deditam , vt aliorum salutem ne-
glexerit , vel curam nullam habuerit
discipolorum , aliorū myc qui re-

cen-

center religioni se adiungebant; ac si sibi soli viueret, posthabita salute & commodis aliorum. imò existimandum est eam supra omnes alios singulari quodam caritatis zelo exarsisse, non in Deum solum, sed erga proximum quoque, ac peculiare curam habuisse Ecclesiæ, cuius post Christum primarium erat membrū, & pro qua ipse CHRISTVS tam duræ & ignominiosæ morti se subiucere voluit. Itaque beatissima virgo, velut oliua fructifera in domo Domini, & sicut mater communis familiæ nouæ & sanctæ, ad lucrificiēdos omnes, se accommodabat omnibus; verbisque & scriptis, operibus & orationibus continuis, immensam caritatem suam & ardentem zelum, de vniuerscuisque salute, demonstrabat: affligebatur cum afflatis, erigebat lapsos, confirmabat stantes, sustentabat debiles, curabat peccatores, animabat pusillanimes, infirmis & pauperibus præsidium suum offerebat. Et quia certò sciebat, in caritate consistere plenitudinem legis, omnisq; perfectionis vinculum, non dignabatur cum humilibus & insimæ conditionis hominibus con-

uersari , vesci communibus eorum
cibis, eandemque viuendi rationem
cum eis tenere. Denique consilijs, &
respōsis suis diuina sapientia plenis,
primitiū illi Ecclesiæ magno adiu-
mento & ornamento erat : illa enim
docebat Apostolos, cōfortabat Mar-
tyres, instruebat Confessores , erat
speculum Virginum, consolatrix vi-
duarum , admonebat coniugatos,
omnes in vera & Catholica fide
confirmabat. Quare verisimile est e-
ius sapientia singulari , exemplo,
honestissimisque laboribus non so-
lū Iudæos , sed etiam gentiles
multos ad fidem conuersos . Acce-
dit his omnibus studium peculiare
in colenda paupertate sancta , sci-
ens, quantoperè ea esset à C H R I-
S T O filio suo laudata, & viuo quo-
que ipsius exemplo consecrata.
Voluit igitur , vt affirmant quidam
auctores , semper viuere inter pau-
peres & Euangelicas viduas , quæ à
primis septem Diaconis ab Aposto-
lis ordinatis, sustentabantur . Oter
sancta & admirabilis vidua , quæ e-
ousque te abiecisti , vt in numero a-
liarum pauperum esse volueris , &
vna cum illis ex communibus ele-

cmo.

emosynis viuere, ut in hoc quoque perfectum Christianæ paupertatis exemplum mundo relinqueres. Atque hinc cognosei quoque potest profunda eius humilitas. Nam cum illa solita fuerit se in omnibus rebus demittere, & infimam censere, Scriptura quoque, dum nomina commemorat eorum qui post ascensionem C H R I S T I se receperunt in cœnaculum, cum merito primo loco mentionem facere debet M A R I A E matris Domini, nihilominus prius nominat omnes Apostolos, tum mulieres, ac postremo M A R I A M, I E S V matrem: Quod merito ita contigit, ut nimirum quæ existens^z prima, se faciebat omnium extremam, prima omnium & suprema fieret: & quæ erat ancilla omnium, fieret regina & domina omnium, & quæ cum ineffabili mansuetudine non solum se postponebat pauperibus viduis, sed etiam mulieribus pœnitentibus, quæ ante fuerant peccatrices, merito super ipsos Angelos exaltatur.

4. IAM appropinquabat tēpus, quo hæc sanctissima mater ex hoc mun-

do

234 MEDITAT. DE

do migratura erat ad filium: ubi cō-
sidera causas, ob quas, etsi fuerit con-
cepta sine peccato, congruebat illam
per angustam mortis portam transi-
re. Ac primò, admodum conueniens
fuit, ut MARIA, sicut in alijs multis
rebus se conformauit CHRISTO,
sic etiam in ista se conformaret, eun-
demque cum filio calicem biberet,
atque ita per mortem (sicut & ille
fecit) transiret ad gloriam. Adhac
non expediebat MARIAM destitui-
commodis & fructibus, quos homi-
nes ex morte sancte obita solent col-
ligere. His enim per mortem accessio-
fit ad meritum, & præmium. Vnde
& mors eorum dicta est pretiosa, in-
conspicu Domini, verè pretiosa, cū
illis non aliud sit mori, quam è tetro
carcere egredi, & magno onere leua-
ri, attingere periculose peregrinatio-
nis metam, redire ad patriam, & in-
gredi portam vitæ & regni cælestis.
Quamuis autem beatissima Virgo
verè sit mortua, magnum tamen di-
scrimen fuit, inter ipsius, aliorumque
mortem: nullus enim vñquam San-
ctus existit, qui aut maiore desiderio
expectarit mortem, aut constantiore
animo contempserit, aut à thesauro
omnium

omnium virtutum instructior & pa-
rator ad mortem fuerit . Certe si *Apœ. 14.*
beati appellantur , qui in Domino
moriuntur, quis hac erit beatior, quæ
generauit vitæ autorem , & mortis
destructorem ? Et si beati sunt servi
illi, qui à Domino redeunte inueniū-
tur vigilantes , quam beata erit hæc
mater, quæ non solum inuenta est
vigilans, verum etiam cum summo
desiderio expectauit , & recepit tan-
tum hospitem ? Et si , sicut scriptum
est, *iustus sperat in morte sua*, hoc maio-
re niti debet fiducia , quo accuratius *Prou. 14.*
omnem iustitiae legem impleuit. Læ-
care ergo virgo prudentissima, quæ
tanta cura adornasti & conseruasti
tuam accensam lampadem; nam fie-
ri non potest, ut aut oleum tibi desit,
aut ut lampas extinguatur. Sequere
ergo tuum dilectum sponsum, imò
tuum filium, qui præcedit te, & vo-
cat te, ut possis vna cum illo optatis
perfui nuptijs. O quoties cogitandū
est virginem lachrymis inter preces
mixtis, in sacrificium filio obiulisse
ardens suum cor, pulsando piæ eius
aures illis verbis affectu plenis. Di-
rumpe tandem Domine vincula
mea, & educ de hac custodia animam

Psal. 141.
meam,

Psal. 141.**Psal. 41.****Cant. 5.**

meam, ad confitendum nomini tuo,
 vbi me expectant iusti donec retri-
 buas mihi coronam iustitiae; Ecce
 quemadmodum desiderat cervus ad
 fontes aquarum, ita desiderat anima
 mea ad te DEVS, quando veniam &
 apparebo ante faciem tuam? Deinde
 conuertens se ad Angelos, (qui eam
 continentur tanquam sui Principis
 matrem visitabat, & aulicorum mo-
 re eam circumstabant) ait illis. *Adiu-*
ro vos filie Hierusalem, si inueneritis di-
lectum meum, vt nunc etis ei, quia amore
langueo. Vnde cogita, quomodo pu-
 riissimi illi spiritus (partim compa-
 tiendo materno & amoris plenissimo
 affectui virginis, partim quia ipsi etiam
 magno desiderio expectabant huius
 reginæ aduentum) supplicarint Do-
 mino, hoc beneficium gratuito sibi
 concedi, vt possint eam deducere &
 collocare in regio throno ad dextram
 ipsius in cælo præparato. O quā verè
 dixisti beatissima Virgo te languere
 amore & dilecti tui desiderio. nam
 tota vita tua aliud non fuit, quam cō-
 tinuus quidam languor. vnde à tem-
 pore quo genuisti filium tuum, usq;
 ad passionem, multarum & variarū
 persecutionū, quas ille perpessus est

in

in vita, timore languisti: deinde ~~toto~~
acerbae suae passionis tempore, donec
eū vidisses à morte excitatū, mortali
& extremo dolore lāguisti. O dulcis-
sime Iesu, qui huic matri tuæ fuisti
fructus tam latus & iucundus, cur
illi caussa es tam diuturni & acerbi
martyrij?

§. C O N S I D E R A , quomodo
Dominus, de quo scriptum, quod ex-
audiat preces pauperū, & preparatio-
nem cordis eorum nihil minus fac-
re potuerit, quam tam iustum & san-
ctum desiderium dilectæ suæ Ma-
tris, & Angelorum, pro illa suppli-
cantium exaudire. Quare illico de-
creuit, vt Archangelus Gabriel ad-
iret Virginem filiam Syon, eiisque di-
ceret, *Concupiuit rex decorem tuum*, & *Psal. 44.*
ideo vocat te, vt venias, & compares
te ad cælestes & æternas eius nuptias.
Ac valde conueniens fuit, angelum
illum, qui primus fœlicem illum
nuncium de aduentu filij Dei è cælo
in terram virginis attulit, eundem
quoque bonum nuncium adfer-
re de gloriose eius transitu è terra
in cælum. Nam si de Apostolo Petro
alijsque multis Sanctis legitur eos à
Domino certiores de hora mortis
red-

238 MEDITAT. DE

redditos, quanto magis credendum
est hunc fauorem imprimis præsti-
tum ab eo dilectissimæ suæ Matri;
quæ semper omnibus illis donis &
charismatibus abundauit, quæ nulli
vnquam sunt concessa. Ut ergo Vir-
go tam lætum & desideratum nun-
cium audijt, & vocem dilecti sui a-
gnouit, qui pulsans ad cordis eius
portam dicebat illa amabilia verba.

Cant. 2.**Psal. 121.**

*Aperi soror mea, amica mea, columba mea,
immaculata mea. tota præ lætitia exul-
tans hæc verba dixit, fide & charitate
plena, ac tali Matre verè digna. Ecce
ancilla Domini, fiat mihi denuo secundū
verbum tuum. iam si sanctus ille Rex
Dauid exultauit, cum illi nunciaretur,
quod esset iturus in domum Do-
mini, quantam putamus lætitiam fu-
isse huius beatæ matris cum ei indi-
catum est, iam iam iter instituendū
ad domum cælestem? O quomodo
conficiebatur desiderio ex hoc cor-
pore migrandi, & oculis suis cernen-
di Dominum, filium suum, & perpe-
tuo cum eo permanendi? O dies bea-
tus, ô nuncius fœlix, tanto iucundior,
quanto optabilior. Cum igitur hac
de causa paulatim inciperet viribus
deficere, considera quemadmodum*

in vili

in vili illo suo lectulo decubuerit to-
ta diuinis intenta laudibus, & ineffa-
bili quadam cordis dulcedine & pa-
ce absorpta, & in dilectum suū trans-
formata. In hoc ergo statu existens,
& tota amore emollita, visa est hæc
sponsæ verba recitare. *Fulcite me flo* Cant. 2.
ribus, stipate me malis, quia amore lan-
gueo. Voluit autem Dominus nouam
hic adiungere consolationē, ut nem-
pe illa, (quod accidit magno illi pa-
triarchæ Iacob) præsentes videret, nō
solum omnes filios suos tunc in vr-
be degentes, sed etiam omnes san-
ctos Apostolos, in diuersis mundi
partibus dispersos, qui visu singulari
à Domino moniti non sine miracu-
lo omnes Hierosolymā peruenierūt,
simulq; omnes fælici huius dilectaæ
suæ matris migrationi præsentes ad-
fuerunt: in qua, velut nouellæ oliua-
rum sacratum circumdantes lectu-
lum, haud dubium, quin ex teneri-
tudine, summoq; dolore cordis
multas lachrymas profuderint, mul-
ti quoque mærentium aliorum ge-
mitus audit & suspiria, non quidem
ratione MARIAE, quæ tantis huius
vitæ malis tandem libera, ardens su-
um diuturnumq; explebat deside-
rium,

240 MEDITAT. DE

riū, sed ratione Ecclesiæ adhuc tene-
ræ, quæ absentia talis matris, talisq; ie
Magistræ & gubernatricis acerbū ad-
modū vulnus accepit; quippe cuius
salutaribus consilijs, opera & auto-
ritate mirum in modum sustentaba-
tur. V E R V M ex alia parte perpen-
de amabilia illa & extrema verba,
quæ sacra virgo, coram illis protu-
lit; sanctas admonitiones, & cohor-
tationes, quibus illos est solata, ut
nempe hunc suum è mundo transi-
tum ad veram vitam non cum lu-
cru, sed potius cum gaudio & gratu-
latione exciperent. Ac certe hic lu-
etus & mœror, coniunctus erat cum
magno quodam interno & spirituali
gaudio, quo excitati sunt ad hymnos
& psalmos in Domini laudem con-
cinendos; scientes, se non perdere
Matrem suam, sed potius ad regnum
cælestē prämittere, abire illam tan-
quam nostram aduocatam, quæ
quoniam mater sit nostri iudicis &
simul mater misericordiæ, fideliter
quoque & efficaciter negotia salutis
nostræ sit tractatura.

6. D E H I N C expende, non so-
lum angelorum choros, & omnium
Sanctorum in cælestibus ordinibus
existen-

existentiū agmina, sed etiam ipsum
Regem gloriæ dignatum fuisse ob-
uiam procedere dilectæ matri suæ,
eamque suscipere. atque id postula-
bat amor talis filij erga talem ma-
trem . Nam si ipse Dominus idem
officium præsttit alijs multis Sanctis,
vt præsens in eorum obitu adesset,
quanto potius credendum est idem
fecisse illi, quæ tum naturæ , tum ar-
dentissimæ caritatis æctissimo vin-
culo erat coniuncta, & super omnes
creaturas dilecta. Vedit igitur M A-
RIA C H R I S T V M filium su-
um illis oculis , quibus eum viderat
paulò ante obitum suum B. Stepha-
nus . Vedit eum venientem inter
medias Angelorum copias , & ad se
vultu tam hilari & iucundo tenden-
tem, vt tota incomparabili comple-
retur gaudio & exultatione, quod
in tam benignas & amicas manus
depositura esset animam suam . Vi-
dit denique desideratam illam fa-
ciem admodum pulchram , & vo-
cem dilecti sui suauissimam , inui-
tantem , vt instar columbæ in dul-
cium suorum vulnerum forami-
na , & amabilis lateris sui cauer-
nam intraret , exaudiuit . Vnde
Cant. 2.
teri;

verisimile est , eam ex diuina filij
præsentia viribus quodammodo re-
nouatis, surrexisse , & positis humi-
genibus , brachijsque complicatis
hæc vltima verba pronunciauisse. In
manus tuas fili commendo spiritum meum.
Suscipe animam meam tibi tantope-
rè dilectam. quam puram & immu-
nem ab omni peccato conseruasti.
Corpus meum tibi & non terræ cō-
mendo . Custodi tabernaculum, in
quo tibi habitare libuit, transfer me
ad te , qui dignatus es descendere ad
me. vt vbi tu fueris , dulcissimus me-
orum viscerum partus , ibi ego quo-
que, Mater tua, inueniar. Obsecro te
quoq; vt hos caros meos filios, quos
dignatus es vocare tuos fratres , con-
solari & confortare velis, & ad bene-
dictionem mearum manuum , eis
nouas & copiosas benedictiones ac-
cumulare . Cogita deinde quanta
verborum suavitate ei responderit
Dominus dicens . Veni mater mea
benedicta in requiem tuam . Exurge
& veni amica mea , & pulchra inter
omnes mulieres, ecce hyems trāsist,
imber abiit & recessit , veni sponsa
mea & immaculata mea , nam odor
vnguentorum tuorum , tuarumque
pre-

Cant. 4.

Cant. 2.

pretiosarum virtutum est super odo-
rem omnium aromatū. Quibus ver-
bis auditis, purissimum spiritum suū
in manus filij tradidit, breuiq; & sua-
ui edito suspirio, diuinos oculos suos
clausit, innocentissimaq; anima ex
cautissimo illo corpore exiit. Vbi cō-
sidera, illam, vt aliena semper fuit
ab omni carnis corruptione, sic etiā
immunē fuisse ab omni dolore mor-
tis, imò benedicta illa anima summa
suauitate, & incredibili cum lātitia
è corpore excessit, cantantibus & iu-
bilantibus angelis cum tota cælesti
militia, ac in brachia imò in cor di-
lecti filij sui infinito amore recepta
est. Non audiebantur ibi amplius
planctus & lamenta, sed dulces con-
centus, laudes iucundæ, harmonia
cælestis, & mutua omnium gratula-
tio & exultatio.

COLLOQVIVM.

O MARIÀ mater gratiæ, & mater
misericordiæ, quæ, cum essem inno-
centissima, exemplo filij, Domini
nostrí, qui sua morte mortē destru-
xit, voluisti quoq; tua morte lenire,
& securiorem reddere mortem no-
stram: rogo te, per ineffabilem con-
solationem, quā sensisti in hora tui

L tran-

MEDITAT. DE
transitus, dum coram præsentem a-
spiceres filiū, & omni metu reiesto,
imò cum summo gaudio & securi-
tate spiritum tuum in sanctissimas
cius manus commendares, digneris
ultimo vitæ meæ momento, velut
misericors mater animæ meę pecca-
trici assistere, tuique fauoris umbra
ab omnibus tuoꝝ inimicorum in-
sidijs & insultib⁹ eam defendere; ut
securius possim locum illum pericu-
li plenum transire, & in tuas benedi-
ctas man⁹ suscipi, in quas ab hac ho-
ra toto corde eam commendando. Nam
si tu aduocata nostra mihi fueris p̄.
pitia, non dubiam spem capere pos-
sum filium quoque tuum, Dominū
meum non repudiaturum eam ani-
mam, quæ à sua matre fuerit rece-
pta & commendata.

DOCUMENTA.

I. BEATISSIMA Virgo post C H R I-
STI filii sui ascensionem, totam se or-
rationi, frequeniationi Templi Dei, alijs
que pijs & sanctis exercitijs dedidit: pre-
bens ea re perfectum exemplū nō solū o-
mnibus virginibus, quæ desiderant corpore
& spiritu se diuino cultui consecrare, sed
etiam omnibus Euangelicis viduis, quodnā
hj proprium earum officium, & quomodo
in hac

in hac vita conuersari debeant, hoc est, mundi tumultus, eiusque vanitates defugere, non secus, quam si omnibus rebus mundanis essent mortuae, adhaerere soli Deo, noctu diuq; attendere orationi, meditacioni, et piorum, sanctorumq; librorum lectio- ni, sacra templa visere, amare lacrymas, cum angelis potius quam cum hominibus conuersari, continuisq; suspirijs & desiderijs ad cælestia aspirare.

2. Mors beatissimæ virginis nullum metum vel merorem, sed potius consolationē attulit summā; velut suauissimus & iucundissimus somnus: illa enim per omnē vitā eam exceptauit, quasi ianuā ad bona æterna & cælestia. Hæc aut̄ primaria causa est, cur homines tantopere reformident & fugiant mortē, quoniā videlicet, omnē spem suā collocarūt in bonis caducis & terrenis, quibus per mortē spoliātur. Si igitur mortē timere nolumus, imitemur hanc nostrā beatam matrem in sancta & pia vita, eiusdemq; desiderijs nō terrenis sed cælestibus.

3. CHRISTVS Dominus noster nō modo sanctissimam matrē suam, sed innocentissimū quoq; corpus suū voluit legi mortis subiectum, ut nobis in morte nostra aliquod esset solatiū, eiusq; & matris exemplo magis corroboremur; ac præterea ut eodē exemplo possemus non solum consolari nos

246 MEDITAT, DE

ipso, sed alios quoque in illa extrema & difficulti mortis agonia. Nam si illi, qui erat ligna viridia, hoc est, ab omni peccato im-
munes, voluerunt degustare morie, quanto magis nos ligna arida, qui onerati sumus peccatis, patienter tolerare debemus hanc pænam, eandemq; ingredi portam, quā ante nos Christus eiusque mater ingredi non dubitarunt: cum suo ingressu tam facilem iucundam eam reddiderint, ut optari potius, quam reformidari debeat.

4. Quemadmodum omnes gratiae & pri-
uilegia B. Virginis propter nos fuere con-
cessa; occasione enim lapsu nostri electa
fuit in matrem Saluatoris, ac proinde me-
rito obligatur esse aduocata Ecclesiae om-
niumq; fidelium, ut salutem consequan-
tur, sic etiam per singularia beneficia, que
illi contigerūt in morte, tenetur agere spe-
cialē aduocatam & protectricem in mor-
te nostra. Quare si optamus in extremo illo
& tremendo momento ab ea iuuari &
defendi, inuocemus Mariam, deuotiōq; sumus
Mariæ; Nullus enim enī in quā ei denotus fuit
qui illa hora fuerit ab ea desertus, sed po-
tius magna consolatione affectus.

5. Virgo sanctissima Dei mater, quia per-
spectum habebat consilium à Domino ali-
quando datum, de tenendo vliimo loco in
hominum conuentibus, valuit ab omnibus
ba-

Luc. 14.

baberis tractari tanquam omnium ultima & infima. Quia humilitate obtinuit, ut postea in cælo exaltata fuerit supra omnes, in confusionē nostrā, qui mereremur ob peccata nostra existere sub terra, & tamen semper volumus instar olei eminere super alios, nec patimur quenquam nobis anteferriri; & si videatur nobis quod exigua nostri ratio habeatur, vel non satis magno honore afficiamur, moleste ferimus & turbamur: unde eueniet, ut postea in altera vita, quemadmodum ipse Dominus testatus est, ignominiosè ejiciamur, & nouissimum locum, omnium pedibus subiecti, reueamus.

6. Beatissima virgo, uti à domino petijs, ita etiam pro sua consolatione obtinuit, ut Apostoli omnes præsentes illi sub extremā vita horam adessent, præbens ea re nobis exemplū, multo magis nes qui sumus peccatores, magisque auxilio indigemus, debere desiderare & procurare, ut in obitu nostro aliquos homines spirituales præsentes habeamus, qui nobis adiumento sint.

& in tanto discrimine solarijum aliquod submittantur.

L. 3 DE.